d. 1514.
9.

Erudito atque Excellenti viro Domino Johanni Hesso, artium liberalium Magistro, Dni Reverendissimi Uratislaviensis ab Epistolis.

S. D. Gratissimum mihi fuit, quia in alienis literis operam tuam omnem ac studium polliceris, et magno sum gaudio affectus, quod insperato amicum sum nactus eum, qui propter multifariam cum aliarum artium reconditarum tum historiarum praecipuam cognitionem plurimi fiat à Principe, communi Parente nostro, atque ob ingenij dexteritatem rebus magnis agendis est adhibitus, quique ob morum   atque inculpatam vitae rationem diligitur ab omnibus et mirum in modum observatur. Itaque inter coryphaeos et classicos amicorum quotquot unquam nobis fuerunt, hodieque sunt, te pono, mi Johannes teque νεόφιλον veteribus multis amicis praefero Bondio te operam dedidisse. Valentinus αὐτοδίδακτος mihi per literas significavit οὐ κρύβη ἀλλὰ κρυβδὸν ἄγγελε. Nam venetum exilio multatum esse comperi. Lypsiae cum ego agerem te in ludo Aesticampiani eruditissimi atque integerrimi viri versari memini, quem   ab improbis quibusdam affectum esse aegerrimè tuli. Nimium malè conveniebat sui cum amaricino, scis puto cui. Plura in animo fuit ad te scribere, sed jam nox humida coelo praecipitat, suadentque cadentia sidera somnum. Benè vale. Romae XX. Maji. M. D. XIIII.

Casp: Ursinus Suevtingensis.